

24.
370
8.

II h
123

DE
BRITANNIÆ
MAGNÆ,

X1861225

Speciatim

ANGLIÆ & SCOTIÆ

GENIO, DOTIBUS
ac MORIBUS

Ad

Iconem Animorum

JOAN. BARCLAJ,

PRÆSIDE

GEORG. CASP. KIRCHMAJERO,
Orator. Prof. Publ.

In Electoral. Acad. Witteberg.

Audit. Major. Ann. clō Isc LXXXII. Ad d. Junii,
differet

JOHANNES GÜTHREUS, Aberbrothenfis
SCOTO-BRITANNUS.

Ex Officinâ BRÜNINGIANA.



DE
BRITANNIA
MAGNAE

ANGELICAE
GENIO DOTIBUS
AC MORIBUS

JOANNIS BARCLAJ

GEORGII CAESARIS REX CHAMBERLAINO

AMSTELÆDAMI
APUD
J. VAN DEN HAEGHE
MDCCLXXII

AMSTELÆDAMI





A D
JO. BARCLAJ Icon. Animor.
CAP. IV. seqq.

De
GENIO, DOTIBUS ac MORIBUS
BRITANN. MAGNÆ,

Speciatim
ANGLIÆ & SCOTLÆ
inprimis.



Ritannia) Britannia olim in
plurali dictæ sunt; ut Gallia. In Cæsarem
Catullus gloriosè:

Britannia
in plurali;

Hunc Gallia timent, timent Britannia.

Britannia autem pluralitè dicebantur, ad distinctionem *primæ & secundæ*; quarum *Sextus Rufus* meminit, qui scripsit de provinciis, Prima citrà Isthmum; secunda ultra est, nunc dicta *Scotia*; de quibus *S. I. stadiensis* Autor optimus *Rhenanus* prodidit memoriae haud pœnitenda. *Sylvester Giraldus*, *Menevensis* homo, Britannicæ antiquitatis studiosus, *Uibium Sequestrem* imitatus sedulò, de Britannia divisione ita tradidit *Distinct. z. libro*, ubi de adventu *Fugatii & Damiani* Apostolorum ab *Elevtherio* Episcopo Romano in Britanniam missorum meminit: *Britanniam primam Britanniam secundam, Flaviam, Maximam, Valentiam*. Prima dicta est pars *Occidentalis Insulæ*; quia primùm in illa Britones *Bruto & Corineo*, ducibus applicuerunt; eaq; primò à *Corineo* atq; suis occupata est, & habitata. *Britannia secunda Cantia*, qua secunda à *Bruto* suisq; inhabitata fuit. *Tertia Flavia, h. e. flava*, (ita ille) quæ dicitur & *Mer-cia*, quasi mercibus abundans, cujus caput est *Londonium*. *Quarta*

A 2

Maxi-

*Maximia, i. e. Eboracia, ab Imperatore Maximo sic dicta. Quinta
Valentia, ab Imperatore Valente, Albania nimirum quæ nunc Scotia.*
Giraldus hæc; cuius alioquin in Pontificum decretis Romanorum
nomen celebre. *Roberus Sheringhamus Cantabrigiensis, Collegii
Convilii & Caji socius, ætate nostra inclytus, in discept. de Orig.
Anglor. c. 14. Tantum abest, inquit, ut hanc ejus de Britannia in par-
tes divisa interpretationem in solidum admittam, ut aperte ausim pro-
nunciare, illum subinde in interpretatione impendiò hallucinatum
fuisse. Ineptum planè, quod de prima & secunda scribit Britannia. Et
ejusdem farine est, quod de tertia Britanniæ provincia insert. Flavio-
rum familiam longè nobilissimam, à quâ & Constantinus M. originem
duxit, ulnis amplector. At Flaviam repudio unà cum Mercia, quæ à
Mercis, Germanicâ gente, vellimitanea, non à mercibus accepit nomen.*
De origine Britannia ac etymo si quæras, *Thomas Eliottus* Eques,
non Britanniam, sed potiùs *Brytaniam*, aut *Brydaniam*, vocari ma-
luit, consentiente *Lhyddo*. *Brith* nempe illis herbæ species, cæru-
leo colore (quo inficere se soliti sunt *Picti*) pingens; nostris *weithy*/
notissima *Thuringis*, *Ersurtensibus* imprimis. *Tania* significabat
Pictis regionem. Inde *Mauritania*, *Lusitania*, *Aquitania*; quasi
regionem nomines *Pictorum*. Quam in Atlante etiam majori ap-
probat originem cum *Hondio Mercator*. Ex historiarum monu-
mentis antiquissimis, insculptis rupibus saxisque; scilicet & vetustis-
simis Scriptoribus Britannicis commendatarum constat à *Trojano*
Bruto nominatam ab initio *Brutaniam*; quæ postea Britannia, mu-
tatione levi dicta sit. Ne hîc quicquam de *Gouldmanno*, in copio-
so lingv. *Anglicæ Etymologic. Histor. Geogr. Poët.* ad hanc vo-
cem memorem, præteriturus quoq; *Eduardum Chamberlayn* in *An-
glia notitia*; quandoquidem hic de præsentis tantum statu scribere
in animum induxerat. *Robertus Sheringhamus* solus sufficit, qui hoc
sibi curæ habuit imprimis argumentum ut persequeretur ex verna-
culis Historicis, quos inter celebres *Lelandus*, *Nennius*, *Gallofridus*
Monmuthensis, *Johannes Cajus*, & primò nominandi *Gildas Vates*
Anglicanus, nec non *Ponticus Virumnius*. *Epistola Edvardi Regis*
ad Bonifacium Pontificem adfertur quoq; ab *Henrico Cnygthon*, de
eventibus *Angliæ lib. 3.* his verbis: *sub temporibus Heli & Prophetæ*
Samuelis, vir quidam strenuus & insignis Brutus nomine, de gente
Trojanorum, post excidium urbis Trojensis, cum multis Trojanorum,
nobi-

nobilibus applicuit in quandam Insulam, tunc Albion vocatam, à gigantibus inhabitatam; quibus suam suorumque potentiam devictis & occisis, eam nomine suo Britanniam sociosque Britones appellavit. Neque asserendum temere hæc Regem ad Pontificem scripsisse, nisi publicis authenticisque fultum tabulis; ut frustra Buchananus & Scriverius Arthurus obloquantur testibus tot Anglicanis Scotisque. Brutum equidem Leslaus, Episcopus Rossensis pariter concedit, Albanacti tamen Sylvii posthumi, Latinorum Regis filium & Æneæ nominat nepotem, in descriptione Scotiæ. Epitomographus Britannicæ historiæ sequentia de Bruto cecinit:

Dicitur à Bruto sortita Britannia nomen;

Dicitur & Bruti Britto fuisse genus.

Poëtarum sui seculi delictum, Josephus Iscanus in Antiocheide hæc habet:

*- - - His Brutus avito
Sanguine Trojanus, patriis egressus ab oris,
Post casus varios consedit finibus, orbem
Fatalem nactus, debellatorque gigantum,
Et terræ victor nomen dedit. - - -*

Neque aliter Joannes Anævillanus vates:

*Hæc eadem, Bruto regnante, Britannia nomen
Traxit in hoc tempus.*

Ex Gilda (nomine Autoris vel ignoto, vel indebitè suppresso) Gallofridus Britannicæ historiæ libro primo Dianam Venatricem Brutum alloquentem ita introducit:

*Brute, sub occasum solis trans Gallica regna,
Insula in Oceano est undique clausa mari.*

*Insula in Oceano est, habitat a gigantibus olim
Nunc deserta quidem, gentibus apta tuis.*

*Hanc pete! namque tibi sedes erit illa perennis;
Hæc fiet natis altera Trojatis.*

Monumenta veterum Runarum Gothica & Danica hanc in rem facientia adduxit multa alia Robertus Sheringhamus de Orig. Anglor. c. 15. qui hinc omnium instar esse possit.

Inter tot spacia diffusa, tam diversis pulsata fluctibus;) In-

ularum inter Europæas potentissima & patentissima Britan-

nia, (ut mox dicetur) maribus diversis cingitur, Angu-

*Termini
Britann.*

A 3 stis

stis partim fretis, lato partim circumscribitur Oceano. A meridie nimirum Gallia, nec longè dissita opponitur; Orientali ejus lateri Germania vetus, & pars Daniæ ex adverso jacet; Occidentali plagæ mare ac Hibernia; Aquilonem versus Orcades objectæ insulæ. *Prolemæi* delineationem secundum longitudinem & latitudinem rejecit *Sheringham* de Orig. Angl. cap. i. reprehenditq; pariter recentiorum aliquot errores. Videant Geographi, quàm bene actum. Historicorum ejus gentis maximus *Camdenus* statuit, à Promontorio *Tarvisio Belerium* versus, propter littorum anfractus numerari passus 1212000, indeq; ad *Cantium* promontorium 320000, à *Cantio* autem ad *Tarvisium* 1204000. Quæsitum maris non unius sæpius dominum à Britannis. Flagrante bello Anglicano-Belgico excusi nummi hoc elogio insignes:

QVATUOR MARIA VINDICO.

Anglorum portæ sunt portus, mænia classes; juxta elegantiam Orvæni acutissimam,

Magis ad magnitudinis suæ fidem potest varios civium mores, quàm tantorum littorum sinus & nomina præferre.) Magnificum Britanniaæ elogium in Consultationibus, Orat. pro Britann. à *Lansio* productum seq. est: Si quis urbem aliquam laudaret insignem; cujus solum circumcirca incredibili rerum omnium, quas necessitas & deliciae quærunt, proventu latissimum, incolarum omnium vota superet; cujus robur & in vitamurorum, fossarum, propugnaculorum armorumq; præstantia omnem vim hostilem rejiciat; cujus magistratus ubiq; justitiam administrent examusim; cujus deniq; cives omni pietatis, virtutum, scientiarum, artium & elegantiarum omnium, & pulchritudinis laude floreat supra mortales omnes: non opinor futurum quemquam, qui hujuscemodi urbem videre non gestiat, eamq; cunctis aliis anteferendam esse non arbitretur. Ego verò, Illustrissime Princeps & Præses, jam tibi non urbem, sed magnum Regnum, imò aliquot magna Regna, quæ in unum maximum Regnum sub uno nomine & Rege uno maximo felicissimè nuper coaluerunt, laudabo; cui propter incomparabiles dotes, nec alibi collectim sic inveniendas, non tantum omnes illas regiones, quæ hactenùs exquisitis laudibus ornatae sunt, sed & quasvis fideliter & vere postponere ausim: minimè ambigens, laudationem hanc meam & tuum excelsum judicium, & plerorumq;

Colle-

Collegarum assensum merituram. BRITANNIAM intelligo,
& præcipuo meritisimè dignor honore.

Tanquam alium in Oceano Orbem faceret,) Hæc causa, cur penitus Britannia
toto divisos orbe Britanos dixerit Virgilius, Eclog. i. 67. A Poëtis pro altero
certè alter Orbis vocabatur vulgò. Sed à Floro divisa toto orbe, velut Orbe
Lib. 3. c. 10. & Solin. c. 25. Orbis ultimos Britanos cum Catullo no-
minaverat Horatius, i. carm. od. 35. Claudianus in Stilicon. laudibus:
Et penitus toto divisos orbe Britanos. Sic Romani scilicet Scri-
ptores; quibus parùm cognita ulterior Septentrionem versus Or-
bis facies, & proximus è Gallia trajectus.

*Gemini quæ janua pontis
Faucibus angustis, latèq; frementibus undis,
Gallorum Anglorumq; vetat concurrere terras.*

Nec existimandum tamen, in hoc orbe velut altero quærendam
Thulen insularum ultimam, elogio Maronis; quod contra Hornium
ex Taciti Agricola, Strabone, Ptolemæo, & imprimis Pythea Masfi-
liensi strenuè asseruit peculiari dissertatione de Islandia, Holensis
ipsemet Islandus, eruditissimus Vir Theodorus Thorlacius, Amicus
& Auditor noster, cum hîc quondam studiorum causâ versaretur,
amantissimus.

Omnis animi genera incolis in sevit.) Sanè omnis animi & ge-
nera & religiones, immò superstitiones. Hinc illa inter Britones in religio-
coagula sectarum & sectariorum. Examina invenias illius furfu-
ris, & variam in sola Anglica pullitiem. Exemplo sint fanatici,
Papistæ & Anabaptistæ, tremuli, Independentes, Presbyteriani,
Non-conformistæ, Athei, Brounistæ, alii, de quibus publicæ ipso-
rum incolarum notæ sunt querelæ.

*Non alia Insula toto terrarum ambitu illustrior. Sicilia, Crete,
Cyprus &c. non uni Britannia pares.)* Verè igitur cantavit Dionysius
Afer de Britannia:

*ἔδε τις αἰῶν
Νήσοις ἐν πάσῃσι Βρετανίῃν ἰσοφαιζέει:*
I. e. Totius orbis est omnes inter par Insula nulla Britannis. Deinde
à vicinis regionibus intervallo undiq; disjuncta commodo, pas-
simq; universi orbis gremio commerciisq; opportuna, ad juvandos
veluti mortales avidè in maria ex omni parte se projiciens, cælo
pariter & solo felicissimo perfruitur. Vel enim magnæ insula-
rum

*Insularum
maxima
Britannia.*

rum aliarum in Orbe cognito, vel mediocres sunt, vel parvæ. Illarum X. numerat *Varenius Geogr. gener. sect. 3. propos. 4.* & Britanniam recenset primo loco. Quamquam circa magnitudinem res dubio non careat, intuitu *Japoniæ*. Sicilia & Creta inter mediocres, Cyprus inter parvas numeranda.

Fabulis occasionem dedit.

Priscis quoque temporibus materiam fabulis dedit) Inter fabulas has similesque ista referenda, quod omnino Aborigines se crediderunt Cambri veteres. Hinc, inquit *Daviesius*, fortasse est, quod nonnulli existimaverunt Britannos sese Cymro, & plural. Cymri, h. e. Aborigines indigitare solitos. Qui propius à vero se abesse putaverunt, à *Gomeri* tempore Britannos insulam incoluisse, donec Saxones ingrederentur, jactitarunt, propter nominum affinitatem. Ipsi nihilominus Cambrobritannii à *Trojanis* semet ipsos esse memorant *Bardorum* fide.

Eximia figmenta mannos Britannia. gnos etiam tus; autores habent.

Quasi nihil eximium fingi posset, quod non aptè caderet in alumnos Britannia.) Sed & de Germanis antiquissimis peræquè *Tacitus*; (ecquantus Autor!) indigenas i. e. *αὐτόχθονας* ex eo statuit, quod celebrent carminibus *Tuistonem* deum terræ editum, ejusque filium *Mannum*, conditorem gentis; filiosque tres assignent *Manno* & plures deo ortos *Marsos*, *Gambrivios*, *Svevos*, *Vandalios*. Ad quem sensum cecinit *Conradus Celtæ* de nostrate populo:

*Indigena; haud aliâ ducens primordia gente,
Sed Cælo producta suo*

Fuisse apud veteres Germanos etiam *Herculem* & *Ulysses* fabulosis inclytum erroribus commemorat *Historicus Romanus*, aliorum fide fretus. Quid mirum igitur, si eximia figmenta paria Britannia aptentur?

Olim quidem inter novem Principes distributa. Mox bellis atque fœderibus mutati cum Regibus gentium fines; donec tribus Dominis fortuna totius Insulae cederet.) Principes hi Regulos & sub-Regulos se subscripserunt publicis in tabulis; *Seldeno* teste *Titles of Honour*, part. 2. c. 5. f. 605. De diversis illis dominis *Biographi scriptores* *psere*, *James Hovvel*, *Joan. Lelandus*, *Richardus Vitus*, *Gottfridus Monmuthensis*, *Simeon Dunelmensis*, *Joh. Cajus*, *Henricus Speelmannus*, *Eques Auratus*, primòque nominandus *Basingstochius*, *Historicus Britannicus* libb. IX. à primis inde originibus, ad *Constantinum* & *Cadvallatorem* usque. Per periodos eundem ordine videtur, si agatur de

de Britannia Principibus antiquis. Et ratione Vir Clariss. *Becmannus* in histor. Orb. terr. Geogr. & civil. c. 4. § 4. periodos distinguit in *Britannicam* antiquissimam, *Romanam* veterem *Saxonicam* deinde, *Danicam*, *Normannicam*q;. Antiquissima *Britannica* à *Bruto* aliàs ad *Cæsarem* extenditur, referta multis fabulis: *Romana* à *C. Cæsare* ad *Constantin. M.* sub quo milite nudata & relicta est *Britannia*: *Saxonica* à Ducibus Anglo-Saxonis *Hengisto* atq; *Horfa* fratribus, (ex verustissima *VVodani* stirpe oriundis, inq; Angliam è Germania vocatis ad auxilium à *Vortigero*, cum is à *Scotis* pariter ac *Pictis* premeretur deducenda, desinit in Epocham seq. *Danica* trecentis & triginta annis includenda, quibus Angliam invasionibus turbarunt Dani variis, & ad tributum adegerunt. Donec tandem *Sveno* Rex Danorum A. Ch. 1012. dominandi faceret initium in Insula, & filius *Canutus* partiretur pacti formula cum Rege Anglo-Saxonum *Edmundo* initi Imperium; tandemq; res spectaret ad *Ethelredi* Regis filium è Saxonica familia *Eduardum Confessorem*. Superest *Normannica* a *VVilhelmo Conquæstore* auspicianda; qui armis victricibus ingressus Angliam eripuit usurpatoribus, & per benè multa secula transmisit hætenus ad posteros. Pro diversitate temporum diversos habuere Principes; imprimis *Anglo-Saxones* fovebant Heptarchiam, i. e. Imperium loco Monarchiæ absolutæ dividebant septifariam: ut septem Reguli existerent, terrasq; suas singuli tenerent, quos inter, qui plurimum valebat, *Rex Anglorum* dicebatur. Inde Regnum (1) *Cantii* (2) *Australium Saxonum Suffexiæ* (3) *Orientalium Anglorum Eastangliæ*, (4) *Occiduorum seu VVestsexiæ*, (5) *Northumbriæ*, (6) *Orientalium Saxonum Estsexiæ*, (7) *Mercie*; de quibus conf. *Cambd. Spelmannum & Selden.* quorum loca cum adduxerit *Becmannus* in *Notit. illustr. Dignit. dissert. 8. cap. 1.* alioq; supr. alleg. loc. actum agere non placet.

Saxonum coloniis, quos Anglos appellamus, sub unius sceptri felicitate coactis. Ex Germania progressi Angli Angliam, ut Franci Franciam subegerant, & gloriosa nomina indiderant devictis gentibus, *Anglo-* *Saxon.* populosiq; regionib9, miscendo sanguinem cum ritibus & lingua. Vulgò referunt ad Ann. Chr. CCCC. XLIX. quo *Horfa & Hengistus* (fratres, nomina equina referentes; *Horfe* enim denotat *Cabal-* *lum*

lum hodie q; Anglis, uti olim etiam Saxonibus; ab Hengst Hengi-
stus:) evocati sunt Germaniã a Vortigero. Ad Annum CCCC XLI.
referre mavult *Sieur de Mezeray* in historia Franc. p.17. conf. *Ethel-*
werd. l. 2. c. 2. ap. *Selden.* titles of honour, part. 2. cap. 5. pag. 603.
Saxonicaperiodus hæc memorabilis præ omnibus videtur; de-
scribitur à *Vilhelmo Malmesburiensi*, celeberrimo auctore accu-
ratè in *Savilii* Anglicis Scriptoribus. Notari de *Anglo-Saxonibus*
Periodus merentur, nostro equidem iudicio, huc pertinentia: nomina An-
glorum Saxonumq;, patria antiqua, migrationes, fata & res gestæ,
lingva deniq;. De singulis si nunc agendum foret, res in proli-
xissimam abiret commentationem. Indigitabimus proinde fon-
tes saltem, unde aqua peti possit copiosior.

Secundum
nomina.

Anglor.

Saxon.

De nominibus Anglorum Saxonumq; ἀγγλωνημόνευτα complura
Sheringhamus de Orig. Anglor. habet c. 14. p. 377. seqq. Nec Græcã
enim nec Latinã derivatione gaudet vel ab *Angelo Angulove An-*
glus; vox est vernaculæ originis Saxonica. neq; causam habuit
Robertus cur ab eo vapularet hinc *Becanus*. Maritimis vicini oris
Anglers i. e. piscatores dicti. Tò *Angle* Anglis quippe hamum mit-
tere significat: & inde Germanorum *Angeln / angel*. Infesta-
bant maria imperio inhiantes maris Anglo illi Saxones. Omni-
nò tamen rectiùs de voce Saxonum pronunciavit *Sheringhamus*
alibi, p. 204. & seqq. Pro qua sententia pugnarunt dudum Viri in-
clyti *Pontanus* in Origg. Francicis, *Olaus Wormius* in lexico Ru-
nico & literatura Gothica, & in Atlanticis *Olaus Rudbeckius*; juxta
illud *Viterbiensis*:

Ipse brevis gladius apud illos Saxo vocatur,
Unde sibi Saxo nomen peperisse putatur.

Atq; *Vittikind.* i. gest. Sax. fuisse ait, qui hoc nomen inditum iisdem
tradant à cultellis, quos suo illi idiomate *Sachs* appellarint. Post plu-
res alios (*Gregorium Turonensem* nempe, *Lipsum*, *Lindenbrogium* in
glossar. & *Gryphiandrum* de *Weichbild.*) vid. in insigni opere de
Lingv. Germanic. *Schottelius* non paucis melior Theologis *Jetus*,
l. 2. c. XI. p. 341. quem nostrum haud est exscribere. *Montani Scoti*,
Highlanders dicti, Anglos universos *Sassons* sive *Saxones* appel-
lant; *Vallisio* teste, *Prof. Savilian.* in Oxon. Acad. præf. *Gramm.*
Anglic. quod *Camdenus* etiam confirmat in *Britann.* De nomine,
de sede olim patria, migrationibus, fatis, rebus gestis atq; lingva (ne
excus-

excurramus longius,) consulantur præter antea laudatos, *Beda* ap.
Cranz. lib. 1. Saxon. c. 19. 20. & seqq. *Mericus Casaubonus* de Lingv.
Anglic. vet. seu Saxonica Londin. edit. A. 1650. *Joh. Adolph. Cy-*
præus in *Histor. Slesvicens.* & de Ling. Saxon. antiqv. *Robert. She-*
ringham. de Orig. Anglor. p. 28. seq. & pag. 378. nec non Anonymus
Scriptor Angliæ Regum atq; rerum, qui *Sulzbaci* annis aliquot
hinc prodiit Germanicè.

Britannorum verò reliquis pertinaciter insidentibus Cambriæ
montes.) Cambrobranni Cambriam non à *Gomero Japheti*, sed
Cambro Bruti filio deducunt. Multa hanc in rem *Cnyghtron* l. 3. de *Cambri.*
eventibus Angliæ adduxit; pluribus ut liceat supersedere.

Hæc nobis hodie Vallia est,) Vulgò Anglis *Wales*, incolis
Cambray, suis olim Principibus dicta, tandem bello victa
cescit imperio Anglorum. Mos invecus inde, ut filius An- *Vallia*
glorum Regis primogenitus appellaretur, *Princeps Valliæ:*
Princes of Wales. Sic *Jacobus* Rex cum primogenitum *Hen-*
ricum Valliæ Principem & *Cestriæ* designaret Comitem, con-
ferre se ipsi nomen, stilum, titulum, statum, dignitatem &
honorem Principatus atque Comitatus dixit. Peragitur investi-
tura ejus per sertum in capite, per anulum in digito aureum *Ejus Prin-*
& virgam auream. Vid. *Selden.* Titles of honour part. 2. c. 5. De *ceps.*
Walla hæc *Francis Gouldmann* in *Dictionar. Histor. Geogr. Poë-*
tico hæc scribit: *The countrey of Wales in England the place of the*
ancient Britains, Which at the coming of the Saxons into England, re-
tiret into the part of Britain. It was never conquered, but hath
ever kept her ancient Inhabitants, without mixture of other people, and
their ancient Language pure. &c. *Conf. Thom. Smith.* de *Script.*
Angl. p. 73.

Scoti, quibus jamdiu excisorum Pictorū portio accesserat, ad Septen-
trionem colentibus, Scoti, qui à *Scythiis* oriundi (testibus in *Britannia*
Camdeno, de *Scotia,* & *Lansio* in *Consult. Orat. pro Germania,*) *Pictis*
adjuvantibus *Britannos* eò redegerunt, ut cogerentur petere à *Saxo-*
nibus auxilium. *Kenethus* tamen Rex occidit interneccione *Pictos.*
De his *Pictis* (dictis ita, quòd inficerent cæruleo colore corpora, in-
cederentq; passim nudi,) pauca *Cæsar Julius* lib. 5. de bell. Gall.
sed plurima hinc pertinentia *Albertus Cranzius* Saxon. lib. 1. cap. 18.



& 19. prodidit memoria. Ac inter ea hæc: Jam Britones pressi à
 Pictis & Scotis, auxilium Romanorum imploravere. Præfuit Gallis
 pro Romanis eâ tempestate Ætius patritius sub Imperatore Valentinia-
 no ejus nominis III. Is implorantibus sociis legionem militum ex Gal-
 liis misit: cujus præsidio ab hostibus securi defensiq; Britones quievere.
 Sed cum gravioribus motibus quaterentur Galliæ, revocabat Ætius le-
 gionem eam, ut Galliis consulere. Per quæ tempora Picti & Scoti
 cernentes Romano præsidio nudatos Britones, gravius invasere. In-
 terposito paucorum subdit idem: Itaq; Romani cives, qui Britan-
 niam frequentes diversis ex causis inhabitabant, & ipsi simul Britan-
 ni, cum se à Pictis & Scotis diutius tueri diffiderent, Anglos Saxones,
 datis in stipendium pecuniis, ex proximis Germaniæ littoribus (noten-
 tur verba) conduxerunt præsidio assuturos; qui quidem Saxones cogno-
 mento Angli duce eorum Vortegerio Insulam ingressi Scotos atq; Pictos
 prælio superatos represserunt. Conf. Buchan. quoq; Scot. lib. 2.
 pag. 56.

Cambri Mox Cambria diuturnitate bellorum macerata totius Angliæ consen-
 sui imparfuit.) Contrucidatis ingenti prælio Pictis A. 740. maximè
 tandem vi- omnium Cambrobritti restitere. Victi aliquoties resurrexerunt tri-
 ni. in rebellionem. Ab Osyrino scilicet Northumberlandiæ Rege Mercia
 Pictiq; magno superati prælio, seditionem maximam, Eofrida exci-
 tarunt, successori filio. Præ ceteris V Vilhelmus extitit Conque-
 stor tamen, qui & Cambros sui juris fecit, & Malcolinum Scotiæ Re-
 gem beneficio clientelari sibi reddidit obnoxium. Sub illius fi-
 lio V Wilhelmo iterum devicti Cambri: Iabia naresq; amiserunt fœ-
 do admodum spectaculo.

At Scotia spe quidem victoriæ minor, sed cujus spiritus Angliæ non
 domaret.) Scotia non à πὸ τῆς σκοτίας, tenebris, sed Scotis imò Scythis
 (hinc & Scuti quasi Scütten (i. e. Sagittarii, vel Schützen) ab Infe-
 rioribus Germanis appellantur,) à veteribus Albania & Albia, in vita
 Agricol. Caledonia à Tacito cognominata est. Vid. Francis Gould-
 man ad h. l. in Lexico, nec non Sheringham de Orig. Angl. c. 6. in
 Annotat. p. 130. seqq. Ælfredus Rex (qui Historiam Orosii donavit
 lingvâ Anglicâ,) pro Scotis Scythas ponit; sic & V Valsinghamius ap.
 Mercat. in Atlant. Maj. Idem de Hibernis statuit Historicus Bri-
 tanniæ per antiquus Gildas.

Situra

Situm *Scotiae* primū, mox *genium*, *Autorem*, quō nos ducit, *Scotiae fl-*
 secuturi depingemus. *Scotiam* ab *Anglia* flumen *Tyrrida*, montes *tus,*
Cheviotici & *æstuarium Solvæum* separant, meridiem versus. A
 Septentrione Oceano *Caledonio* ac *Insulis* objacet *Orcadibus*.
 Divisio ejus instituta alia in partem *Meridionalem*, alia in *Borea-*
lem, *Tajo* fluvio (*Tay*) & monte *Grampio* (*Gransebain*) interlaben-
 te atq; *Cis-Tajanam* limitante à *Trans-Tajana*. In meridionali- *Et divisio,*
 bus provinciæ extantiores sunt *Laudonia*, ubi *Edenburghum*, deinde
Clidesdalia, ubi *Academia Glascoviensis*, *Merchia*, *Lidisdalia*, *Vi-*
dudalia, *Eskdalia*, *Anandalia*, *Strivilingia* ubi *Sterling*, *Gallovidia*
 seu *Gallovvay*, *Kile*, *Kuningham*, *Fiva*, ubi *Archiepisc. S. Andreae* &c.
 Ad Septentrionales pertinent *Angusia*, *Sutherlandia* *Sathanesia*,
Abrenethia, *Moravia*, *Stranavera*, *Argathelia*, *Rossia*, *Brechina*, plu-
 resq; *Comitatus*. *Genium* moresq; nationis *Scoticæ* describit infrā
Autor ipsemet sequentibus.

Scotis animus ad humanæ consuetudinis culturam facilis; præceptus *Genius mo-*
 ad omnia, quæ spes semel perfraxit, cui maxime credunt: iracundia in *resq; gentis,*
 promptu; sed quam facile post primos impetus mitigant. *Quæ*
opes quam servare meliores; sive quod indoles fortuna sua major in-
 consulte liberalitatis impetu laborat, amatq; opulentie famam; sive
 patriæ more decepti, ubi ad nummos pervenerint, qui in *Scotia* felicitati
 sufficerent, jam de inopia sunt securi &c. *Animi* illis, in quacumq; stu-
 dia inclinant, mirifico successu inclytæ, ut nullis major patientia castro-
 rum, vel audacia pugnae; & *Musæ* nunquam delicatius habeant, quam
 cum inciderint in *Scotos*. *Etiā* urbanis negotiis pares, ad omnis for-
 tunc vitæq; genera suam industriam aptavere. *Vagis* porro, nec ex
 dignitate peregrinantibus, adeoq; non aliā nitentibus ope, quam ut suæ
 gentis hominum, qui in externis regionibus, sibi divitias peperere, in-
 ceant domos, exigantq; velut patriæ pectigal; nihil est superbâ mendici-
 tate deterius. *Gloriosè* hæc de gente *Scotica* dicuntur à *Barclajo*
 nostro. Minus fortè arridebunt, quæ in *Orat. contra Britanniam*
 ex *Jovio*, *Cambdeno* atq; aliis collegit *Lansius* de patria: *Multis* modis
 & nominibus est deterior atq; infelicior *Scotia*, quam *Anglia*. *Est* enim
 pluribus in locis obsita saxis, arboribus glabra, passimq; obfessa palustribus
 aquis; & supra id, quod ferendis vitibus atq; oleis est incepta, in eâ etiam
 triticum in siliginem citò degenerat. *Rationem* reddere conatur
 his: *Et* quid extremus ille & Septentrionalis mundi tractus, *Naturæ*

privignus, inter vastas paludes, inter montium supercilia, inter ericeta spinosa, producat optimum & locuples? ubi etiam lupi non solum in armenta maximo damno, sed etiam in homines magno periculo immaniter grassantur. De Incolis mox subdit idem: Scoti in universum animos gerunt implacabiles; & vix est in omni Europa natio, quæ in ultiones feratur ardentius. Privatas contumelias in ipsarum familiarum injuriam vertunt: & vis inimicitiarum in hæredes quoque abit. Cædem cæde repensare decorum: incendia alternis ignibus vindicant. Nec aperto solum Marte; insidiis, fraudibus, agunt. Nihil turpe aut ignobile satianti oculos inimicorum malis. Et ne videatur temerè scripsisse talia, pro teste Joannem advocat Lesleum, Scotum natione ac Episcopum Rossensem: Noctu turmatim per invia loca perque multos Mæandros è suis finibus exeunt, (Caledonii nimirum, limitaneas Angliæ Scotiæque valles incolentes,) interdum in latibulis præstitutis equos viresque suas recreant, donec eò tandem per tenebras, quò volunt, perveniant. Arreptâ prædâ similiter noctu per circuitus, & devia duntaxat ad sua redeunt. Quò quisque peritior dux per illas solitudines, anfractus & præcipitia, mediâ caligine & tenebris esse potest, is ut ingenio excellentis, majore in honore habetur. Et tantâ calliditate hi valent, ut rarissimè prædam sibi eripi sinant nisi canum odorisque vorum ductu rectis semper vestigiis se insequentium ab adversariis nunquam capiuntur. &c. Sed æqui non est arbitri, exaggerare tantum gentis vitia, suppressere virtutes. Habet omnis natio, quod reprehendi mereatur, & laudari. A partibus ad universos mala instituitur collectio. Fatendum Albanenses & montanos limitaneosque; Scotos assuetos in communi latrociniis & ad crudelitatem efferos pronosque. Hinc Sicur D. T. V. V. de l' Estat du Royaume d' Escosse, tit. moeurs des Escossois de ce temps, n. 10. Scotos à se invicem distingvit in civiles atque virtuosos, qui vulgò the Higlandsmen (gens de la terre haute,) & in feros atque inhumanos, (gens de la terre basse) nominantur. Autor etiam Europæ viventis, Monsr. Chappuzeau, tab. I. de Insul. Britann. p. 186. Les Ecoissois, scribit, sunt genereux & vaillans, & supportent mieux que les Anglois la fatigue de la guerre. Ils n' ont pas avec eux une entiere sympathie. - Ils aiment les belles lettres, & sont assez sobres: mais sur tout ils se piquent de garder inviolablement leur parole; & le Roy de France ne s' enser-

vent

vent pour la garde de leur corps, qu' à cause de leur grande fidélité. D' ailleurs ils se montrent un peu enclins à la vengeance, & tenans de la fierté, de leur voisins ils portent bien haut leur Noblesse dans l' occasion. Hæc hæc tunc de genio ac moribus Scotorum.

In æmulationis argumentum non pervicacius armis, quàm diversa ab Anglis indole pugnare suos jusfit,) Bellicosi, pugnaces & audaces Scoti animis armisq; olim maximoperè infestis Anglis, delicatiori tanquàm populo. Jam inde à Fergusio Scotorum Rege vetustissimo, ad Britannicum Monarcham Jacobum VI. per tot secula quot cædes, quot vastationes, latrocinia & bella Angliæ illata sunt à Scotis? Quid sub *Gvilicmo Conquestore* contigit? Nonne, inquit *Hovadenus* de uno Rege. Britann.) repleta fuit Scotia captivis Anglicis? ut nec villula, nec domuncula illic diu potuerit sine his inveniri? Ex diuturnis & cruentis bellis inter Anglos & Scotos enatum odium, tandem capitale & hæreditarium factum est; quod etiam nullâ superiorum Regum amicitia, vel cognatione, aut fœderum tabulis extingvi potuit. Et Rex Jacobus, Princeps in quo ne invidia quidem inveniat, quod calumniatur, nomen Magnæ Britannia Regis hæc maximè de causa assumpsit, ut animos invicem ab alienatos communi nomine sociaret & simul Scotos demulceret; aliter visuros torvum, si ille in titulis Angliam Scotiae anteponeret. *Pierre Matthieu* in Hist. *Henr. IV.* l. 7. n. 4. *Scytharum* in morem hodieq; plurimi Scotorum montanorum & sylvestrium utuntur jaculis, sagittis, arcu, & incurvis ferramentis; vehiculo gaudentes, equis perniciosissimis, insidiisq; pro consilio adversus hostem. *Bella Scotica* descripsit *Jacob. Hovvel* in historia peculiari.

Anglo nunc utriusq; imposito Rege, cujus spiritu Insula in unum Imperium coaluit.) Imperium Britannia totius, Angliam cum Scotia conjungens felicissimè suscepit *Jacobus VI.* Rex, A. 1602. Hunc amorem orbis, Regum decus, Patrem Patriæ, gemmamq; Principum appellat *Lansius* Orat. pro Britann. ex merito. Fortissimus hic alioqui Heros gladium evaginatum non citra horrorem potuit adspicere. Cujus rei rationem solidam exposuit cum casu memorabili & experimento proprio *Kenelmus Dygbæus* in *Arcan. Naturæ* referat. p. 116. seqq.

Æmuli
Anglorum
Scoti, atq;
hostes.

XX 129 156
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200

Hæc





Huc referre libet, imò decet, ea quæ inferius de Scotia Scotisq; memoravit Autor noster; uti conjungantur homogenea.

Regnum Scotia lon- **I**nclya scepro (Scotia) supra fidem & ætatem Regnorum cætero-
rum, Si, quod oppidò censemus, supra fidem ætatemq; Regno-
rum cæterorum scepro jactitat se Scotia, cur ergo asserit Barclajus
gè antiquiss. in seqq. *Viginti jam tum seculis Imperii sui fortunam, & in unius
ejusdemq; familie hereditatē conservare?* Rectius hæc parte judicavit
Lansius Orat. pro Britann. *Nimius forem, inquit, si viginti seculis il-
lustrissimum Regni sceptrum describere velim.* Sed videamus
porrò.

An per XX *Quippe XX. jam seculis sui Imperii fortunam in unius familie hæ-*
secula huc *reditatē servavit.)* Quisquamne unquam quicquam tale legit in
usq; *historia vel sacra, vel profana reliqua? Leslaus nihilominus, Episco-*
pus Rossensis, etiam 330. Annis ante Christum natum memorat Fergu-
sium susceptum Regno Scotiae. Interea Barclajo Gvilielmo largiamur
asserenti, l. 2. contra Monarchomach. p. 300. nullum in Europa viguisse
diuturnius sub Regibus Imperium, quam Scotiae; an ideò id quoq; con-
cedendum, scepra in hæreditario familie unius fundamento atq;
in unâ fa- *adhuc seculis post natum Orbis Servatorem barbari extremè, cum*
milia? *à literis, tum genealogia & Annalibus tam accuratè propagandis*
alieni Scoti, & in primis Picti efferati, quomodò tam exquisitè se-
riem suorum ex familia eadem Regum tradere posteritati po-
tuerunt? Habent scilicet, quod agant, qui ex librorum pariter ac
monumentorum veterum inspectione diligenti in Germania &
Galliis præcipuorum Regum Principumq; per octo atq; ampliùs
conantur vindicare secula. Nisi forsitan quis asserat: credenda
talia propter Regum Scotiae πολυγαμίαν & πολιτεκνίαν.

exempla *De Luzo, Regulo Giloli in Moluccis Insulis recenset in itinera-*
πολυγαμ *rio Hieronymus VVelschius, DC. cum ex CC. fæminis progenerasse*
πολυτεκν. *liberos; & Terrenate Regulum ex mulieribus CCCC omninò*
plures. An Fergusiana stirps fœcunditate pari gavisa sit? non
licet divinare. Illud certum, Buchanano etiam non diffidente l. 4.
Scot. Evenum III. (qui centum è Nobilitate concubinas aluit,) tu-
liffe

lisse legem: ut cuius esset integrum pro opibus, quot posset alere, uxores ducere: ut Rex ante nuptias nobilium sponsarum pudicitiam præciperet, & plebejarum prælibarent nobiles. Quam etsi precibus uxoriis expugnatus Rex *Milcolumbus III.* limitavit legem, non refixit tamen penitus. nam

Mansit apud Scotos indeclinabile cornu;
uti Poëtarum nescio quis inter illos cecinit. Invenias mendicos illic, qui Regiã se ortos stirpe jactitant. *Barclajus* ergo noster: *Nulli, ait, magis memores suæ stirpis, adeo, ut familiæ decus malint interdum suã paupertate scedare, quàm suppressere intempestivos titulos, & suæ cognationis parumper oblivisci.* Hæc olim usitata; nunc honestiùs ibidem vivitur.

Centum & octo Reges à primo Fergusio in Jacobum Britannicum numerantur.) In numero Scriptores omnes haud conveniunt. *Reges Scoti* Videatur post *Buchananum & Camden.* *Sieur D. T. V. Y. du tie, Royaume d'Escoffe* f. 28. seq. ubi Catalog. occurrit.

Scotis animus ad humanæ consuetudinis culturam facilis:) *Na- Ingenia* tioni *Scoticæ* familiarissimum est præ *Hibernis, Anglis, Gallis, Italis, Scotorum* & peregrinari. Arte igitur & imprimis Marte innotescunt apud exte- literis cele-
ros. Hoc & superiori ævo Viros Oratores, Historicos, Poëtas bria.
ac Philosophos clarissimos exhibuerunt Orbi erudito. De inge-
niis *Scotorum* (scribit *Lansius* Oratione pro Britannia,) excitatis-
simis iudicium ferre nemini erit arduum, qui *Bellendenos, Blacuodæos,*
Balsuræos, Abrenethæos, Sandaros, Cadenos, Strachanos, Barclajos,
Scharpios, Leythos, Duçanos, Androsonos, Hegatos, Vimælos, Burna-
tos Chreïstios, Ridaeos, Ramsæos, Sibaldos, Hirdæos, Matthisonos,
Dazellos, Primorosios, Melinos, Gelios, Fhonstonos, Cragios, Cure-
rios, Vallæos, Lautæos, Stuartos, Lumisdanos, Leslæos, Pendrichos,
Tamsonos, Magillos, Brusæos, Nepperos, Segethos, & tot alios illu-
stres & præstantissimos Musarum alumnos noverit, aut qui vel unum
Georgium Buchananum, virum ingenii felicitate & scribendi facultate
incomparabilem cognoverit. Ne nunc ad acutissimum *Johannem*
Duns (cognominatum excellenter *Scotum*) & *Majorem Hadingto-*
nensem aliosq; excurramus, sufficit hîc allegasse *Hectorem Boëthi-*
um Deidonanum, Alexandrum Alesium, Johann. Cnoxium, Sviffe-
rum calculatorem illum, *Rollocum, Gordonum Huntlæum,* & duobus
his anteferendum oppidò *Rosæum Alexandrum, Aberdonensem Va-*
tem,

tem. Plures in Epistola ad Jacob. Britannic. Monarcham memorat Thempsterus & ipse Scotus, ad Rosin. Commentator.

*Sequiora
aliautplu-
rimum.*

De Nobilibus illiteratis, & militibus, nec non plebejis parum referunt ad gloriam, qui de illis aliquid posteritati tradiderunt. Autor operis, de l'Etat du Royaume d'Escoffe, tit. mœurs des Escossois de ce temps, n. 10. *Maintenant les Escossois sont de leur naturel envieux & superbes, & mesprisent tous les autres hommes. Ac paucorum interjectu: au reste, les Escossois ont beaucoup esprit & d'industrie; mais sont portez à la vengeance & cruels. &c.* Ipsemet ἀντόπτης atq; testis patrius Boëthius in opere historico, p. 12. prodidit de hodiernis moribus: *Juventus pleraq; amoribus sese licentiosè dedit, bonasq; artes omnes ut pestes ac voluptatum (quas velut summum sectantur bonum,) subvertrices averfatur.* Deditos hos Veneri, venationibus indulgentes ante cunctas gentes alias fatetur Buchananus in Epithalamio Fr. 2. Val.

*Ille pharetratis est propria gloria Scotis,
Cingere venatu saltus, superare natando
Flumina, ferre famem.* - - -

De vicinis mari & septentrioni, montibusq; inerrantibus pro certo affirmatur, esse illos inhumanos ferè, barbaros, immanes. Nec abnuere ex toto potuit Barclajus, etsi molliat: *Nam regio ad septentrionem porrecta, nec frumento ubiq; (vix passim) idonea, multis locis steriles montes habet, neq; illos saltè nemoribus indutos, præterquam eâ plagâ, quæ horridius in cælum exurgens, silvestre & barbarum cognomen incolis suis fecit.* Plura & memorabilia mox adducturi ad hunc sensum sumus.

*Habitus
corporis.*

Corporis habitus supra multas gentes:) Staturâ in commune grandiori, robore non mediocri & torosis gaudent membris. Mulieres audaciam virorum sæpius imitantur. Per familiare illis, parere gemellos, nec rarò etiam tergeminos. Satellites ac stipatores Regii leguntur passim, non ob fidei solummodò & animi, sed virium quoq; corporis præsentiam. In Gallia id, honoris causâ, ob eximiam fidem illis, ut inter tria Regis satellitia concederetur locus primus Scotis, Helvetiis secundus, Gallis ultimus. Claud. Malingre en l'Histoir de Louys. XIII.

Fortissimæ tamè genti multum cibum de avium ferarumq; armentorum etiam & gregum frequentia natura paravit. Trecentorum

torum cervorum aut amplius agmen videre non insuetum.) Ferina
abundantiæ occasio voraces fecit incolas. De voracitate horum
hominum testatur *Jovius* in Scotia; testantur etiam quotidiani
apparatus ac impensæ; patrimonia ex convictu epulisq; integra
exhausta, & redactus ad inopiam familiaris rei status adigunt ad
furta, latrocinia & vagabundam sortem. *D. Hieronymus* *αὐτοπτικῆς*
2. adv. *Jovian.* dudum scripsit: *se adolescentulum in Gallia vidisse Sco-*
ros, humanis vesci carnibus; & cum per sylvas porcorum greges &
armentorum pecudumq; reperiant, pastorum nates & papillas fœmina-
rum solere abscondere, & has solas ciborum delicias arbitrari.

Nostro tempore barbaries hæc pridem omnis exulare iussa
sapientissimi *Jacobi VI.* Regis instituto est. Hinc mitioribus assve-
scunt moribus indigenæ; exceptis Caledoniis montanis & sylve-
stribus, retinentissimè viventibus hanc vitam animalem.

Neg, ex patriis bonis desunt, quod advectis exterarum gentium Merces
mercibus ad necessarios usus permutent.) Sed unde hæc pro mercibus *Scoticæ*
advectis permutandis copia vel sufficientia, si regionis infœcundi-
tas nec sufficit necessitati, nec respondet etiam labor? ut mox ob-
servabimus. Marinis nempe piscibus, non induratis saltem, verum
falsis quoq; & recentibus Haringis, vellere, ovibus, avibus, armentis,
glasto, fossili carbone ac metallis ignobilioribus Scotia abundat.
Artificia tamen negligunt & opificia tractandi.

Inopiam æris nullo artificio emoluntur.) Si literarum armo-
rumq; & venationum studia excipias, rarissimus est ibi artificio-
rum cultus. Paupertatem ferre ac in ea consenescere, quàm omnis
generis artibus solari egestatem, malunt. Regnum ipsum Sco-
tiæ vix centum millia Coronatorum annuatim pendere, aut non
multò amplius, affirmat ex *Botero Lansius* Orat. contr. Brit. Con-
firmat *Lucas* pariter de *Linda* in descript. lib. cap. de Regn. Scot.
reditibus: in culpa esse asserens terrarum indigentiam, ut tam exi-
gui hinc reditus deveniant ad Regem; qui ne par quidem minimis
in Italia Principibus hæc ratione esse possit. Confer. *Lesle* de
reb. Scot.

Nulli tamen magis memores suæ stirpis; adeo ut familiæ decus Vana gene-
malint interdum suâ paupertate scedare, quàm suppressere intempesti-
ris jactan-
vos titulos & suæ cognationis parumper oblivisci. Nam in regione vi-
rorum fecundiore quàm frugum, necesse est, clarissimi sanguinis multos pertate mi-
in serabili,

in egestatem nasci: quibus per diversa terrarum quærentibus opes, & ad præconia suæ nobilitatis obstinatis, sæpius audientium risus, quam lacrimas fides accessit.) Nihil est deterius superbâ istiusmodi mendicitate. Regio se sanguines mentiuntur jactitantique arroganter olim ortos in majoribus; proinde indecorum arbitantur agrum colere, artemq; exercere sellulariam. Eò Munsterus videatur in Cosmograph. l. 2. c. 15. Hispanis tamen tantò meliores sunt hac parte Scoti, quantò generosiùs excusatiùsq; peccant, generis antiquâ celebris nobilitate conscii. *Hispanicus* in vulgo etiam fastus tantum non intolerabilis. In ultima nimirum egestate supercilium non amittunt. Sutori & egeno cum jam fata instarent (memorat *Barclajus* hoc exemplum in Hispaniæ descriptione,) aderat finio excelsæ sortis, Hispanor. more,

rat *Barclajus* hoc exemplum in Hispaniæ descriptione,) aderat finio excelsæ sortis, Hispanor. more,

lius in paternam sortem natus. Is cum rogasset, ecquid sibi decessurus præceptorum relinqueret? jam defectâ voce pater: ut, inquit, memineras in majestatem assurgere familiâ tuâ dignam! Miraculo nobis fuit, pergit idem in ibidem loci, ex Hispania mulier, vix centonibus satis tecta, tribusq;, qui comitabantur, liberis precarium spiritum tristi mendicitate producens. Fortè in Gallorum cœtum inciderat; & ex his statim unus spectaculo motus: ego, inquit, ô mulier hoc te onere ex parte levabo: majorem ex tuis liberis (& is fortè ad decennium pervenerat) mihi trade: hunc levibus suæq; ætati paribus ad serviendum officiis assuefaciam; ubi adoleverit, meo sumtu curâq; artificii genere, quod maximè probaverit, imbuetur. Ad hæc mulier nec DEus hoc foverit, ô mi homo, inquit, quanquam pauperem me vides, ut in tantam humilitatem filium damnem. Qui aut tu, aut ego scimus, in quæ fata sit genitus? aut quàm claris virtutibus subsidium patriæ paraturus? Satiùs illi, si ita fata tulerint, inediâ extingvi, quàm ad servitutum (sub externo præcipuè domino) egregiis hominibus indignam accedere. Hic Hispanorum genius, sectari umbras magnitudinis, Chymæras & idola sortis grandioris somniare; imaginando nunquam facta aut futura; credendo quæ finxerint, sequendo quæ crediderint. Hinc amentia non devenerunt Scoti. Invenire quippe est Hispanos in pertenui quantumvis censu, octo atq; pluribus stipatos asseclis; qui, etsi otium sequantur omnes, nemo interim officio vel quasi caret.

Duo

Duo (verba sunt *Clenardi* 1. ad *Latom. Ep.*) præcedunt: tertius gestat galerum: quartus pallium, si fortè non pluat: quintus equi capistrum: sextus holoferica sandalia: septimus scopulas illas, quibus vestes repurgantur à pilis: octavus pannum quempiam ad abstergendum equi sudorem: interim dum Dominus audit sacrum, aut confabulatur cum amico, nonus promit pectinem, si fortè honoratior sit salutandus, ne incomposito appareat capillitio. Hæc ille. Univerfa res inprimis propter qualescumq; sine Arte, sine Marte generosos pauperes & solis imaginibus fumosis jactabundos, eò redit: *Odia l' anima mia il povero superbo: Eccles. 25,3.*

Ipsam autem regionem, in se quoq; animosam; passim inimicitiae exercent, suprâ fas humanitatis, aut odii etiam sævæ. Quippe per familias & cognomina discreti suarum gentium Principes habent; illos, qui in antiquissimæ familiæ hæreditatem successerunt. Eos ita observant, ut vix patriæ caritas major sit: & ad ipsos læsi confugiunt, patrocinio viribusq; suæ familiæ usuri. Neq; rem modico sanguine peragunt: interdum in agmen & velut aciem coacti deserviunt, & insita inimicitiarum vis in hæredes quoq; abit. Cædem cæde repensare decorum, incendia alternis ignibus vindicant. Nec aperto tantum Marte; insidiis, fraudibus agunt. Nihil turpe, aut ignobile satiant oculis inimicorum malis.) Hæc illa ulcera nimirum sunt, quæ suprâ aliquoties tetigimus in Natione Scotica, & αἰῶνις Britannus *Scotor. im-* ipse fecat aperitq;: immortales scilicet inimicitias fovere, odia ad *manitas* posteror hæreditaria transmittere, familias & gentes integras la- & barba- trocinandi studiis implicare, incendia alternis vindicare ignibus *ries in ul-* & in recta non solummodò sed arbores sævire etiam, quid hoc est *tionibus.* aliud, quàm ipsos superare barbaros immanitate aut *Cannibales?* Ex *Jovii* Scotia in Orat. contr. Britann. observat *Lansius*, tres & quinquaginta Reges Scotiæ aut bellicâ vi, aut procerum insidiis crudeliter fuisse interemptos. Recentia sunt facinora contra Reginam *Mariam* flagitiosissimè perpetrata; in Europa sine exemplo. Ubi enim (inquit porrò ex *Annalibus Camd. Angl.*) gentium auditum est, populum & Procures in suum Regem vel Reginam ita sevisse, prægnantem vi metuq; exagitate, tuta loca captantem in Regia obsedisse, ad iniquas conventiones compulsisse, Regno exturbasse, apud cognatam *Anglam* (*Elisabetham*,) ubi auxilium querebat, capitis ream egisse, in carcerem *XX. annorum* misisse, securi & carnifici subjecisse, de morte *trium-*

triumphasse? ubi terrarum auditum hoc est? Fidei venalis & suble-
stæ (cujus eum plurimi insimularunt, & convicit passim *Shering-*
hamus) Scriptor *Buchananus*, etsi sæpiùs occultet atq; sicco pede
talia prætereat exempla; non dissimulare tamen potuit immanita-
tem parricidii illatam *Duffo* Regi à familia *Donaldi* lib. 6. *Scotic-*
rer. & *Davidi* filio *Johannis* Regis crudelissimè enecti à guberna-
tore fratruo; lib. 10. *Historiar.* Recentior adhuc est *Retvvenorum*
Comitum atrocitas, quâ Regem Clementissimum *Jacobum* VI. (qui
non tantùm posteaquàm natus est, sed & anteaquàm nasceretur,
& in ipso matris utero non fuit tutus ab insidiis sicariorum,) ma-
nibus consceleratis penè trucidassent. *Historiam* recensent *Camd.*
In Scot. ad Ann. Chr. 1600. *Pierre Matth.* in hist. *Henr. IV.* l. 3. n. 3.
& *Kenelmus Digby* causam in *Nat. arcan.* referat. p. 116. Jam por-
rò quàm remota ab humanitate omni est atrocità, inimicitias dif-
fundere per tot viventes non solummodò ac necessarios, sed pro-
pagare etiam hæreditaria ad posteros, & grassari ad Hyænæ mo-
dum. Optimè Poëta:

Rixarum atq; odii humani mors terminus esto.

Generosioris hominis non saltem, sed Leonis quoq; est & belluæ,
subjectis parcere.

Magnanimo satis est hostem prostrasse Leovi;

Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.

Ast lupus, & turpes instant morientibus ursi,

Et quæcunq; minor nobilitate fera est.

Favores ampliandi, non inimicitia amplificantæ sunt.

Sed hæc olim deplenda dolentiùs. - Nunc placidis rebus, quàm
sentire meliora, tam licet augurari. - Ipse Rex (Jacobus Britannicus)
eorum rationem inivit, quorum familia & rixæ eminebant. Precibus
& auctoritate fractos partim per se, partim per Senatùs sui delectos ita
reconciliavit, ut vix amplius in tota regione tam assvetifacioris
acerbitas nominetur.) (Repressum cacoëthes, non suppressum pe-
nitùs; quod certà fide novimus. Quid ante ac post mortem *Ca-*
roli Stuarti Regis Martyris afflixerit in omni penè Comitatu
Scotiæ familias illustres & obscuriores, experientia hoc ævo no-
stro docuit. Fatendum nihilominùs, ex quo & literas humanio-
res coluerunt magis incolæ, & ad civiliores gentes alias peregri-
nationibus inclaruerunt,

Nunc die-
rum Scoti
agunt mi-
rius.

did-

didicisse fideliter artes
Mollisse hos mores, nec sinere esse feros.



Nunc expensis & conjunctis, quæ ad Scotiæ res pertinebant, ad Angliam
regrediamur.

Anglia felicibus pascuis & ad multas variasq; arbores commodâ hu-
mo commeantium oculos pulcerrimâ viriditate mulcet: In tracta-
tione argumenti hujus Scriptor nuperus præsentis statûs Anglicani
Eduardus Chamberlayn LL. Dort. & Soc. Reg. S. part. I. cap. I. p. 5.
extra se ferè rapitur dum admiratur dotes Angliæ & sequentibus
extollit, ab Eumenio Panegyrista mutuatus, quem non memorat:
O fortunâ & omnibus terris beatior Britannia! (quidni Anglia κατ'
ἐξοχήν? nam ad Scotiam simul hæc nequeunt accommodari;) te
omnibus cæli & soli (bonis) ditavit Natura: tibi nihil inest, quod vitæ
(vitam dicat Cicero) offendant; tibi nihil deest, quod vitæ desideret ita
ut alter Orbis extra Orbem poni ad delicias humani generis videaris.
Idem, quod vel ὑπερβολικῶς, vel ἀλληγορικῶς in antecedentibus
immediatè scripserat, αὐτολεξεῖ adduci debet: By antient and mo-
dern Writers calling England the Granary of the Western world, the
seat of Ceres. - That ther valleys are like Eden, her hills like Lebanon,
her springs as Piskah, and her rivers as Jordan. That she is a Para-
dise of pleasure, and the garden of God. Verè quidè hæctenus, quod ex
elogio Innocentii IV. Papæ (ut Matth. Paris refert in Histor. Angl.
p. 683.) hortum nominat deliciarum puteumq; inexhaustum. Veriùs
& pulchriùs in panegyrico, quem Constantino dixit, indigitatus
anteà Eumenius Rhetor: ó fortunata & omnibus
cæli ac soli bonis Natura donavit; in qua nec rigor est nimius hyemis, nec
ardor æstatis; in qua segetum tanta fecunditas, ut muneribus utriusq;
sufficiat, & Cereris, & Liberi: in qua nemora sine immanibus bestiis,
terra sine serpentibus noxiis; contra, pecorū mitium innumerabilis mul-
tudo lacte distenta & onusta velleribus. Certè quidem, quod propter
vitam diligitur, longissimæ dies, & nullæ sine luce aliqua noctes; dum
illa littorum extrema planities non attollit umbras, noctisq; metam
cæli

Naturales
Angliæ
dotes,

Laudes tro-
picae,

topicae æ-
veriores,


caeli & siderum transit aspectus; ut sol ipse qui nobis videtur occidere, ibi appareat præterire. Quod postremum etiam in vita Agricola Tacitus confirmat cap. 12. Dierum spatia ultra nostri Orbis mensuram, & nox clara & extremam Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. Quod si nubes non officiant, adspici per noctem Solis fulgorem, nec occidere & exsurgere, sed transire affirmant. Scilicet extrema & plana terrarum humilium umbra non erigunt tenebras: infraque caelum & sidera nox cadit. Facit ad exaggerandas Angliae amoenitates naturales amoenissima descriptio Grenovici, (patria Elisabethae Regis est, palatio Regali, vulgo Greenvich incluta) Barclajum inventorem habens c. 2. Euphorm. Satyr. part. 4. Icon. Anim. quam, cum sit admodum prolixa, indicare satis sit.

Felicitas ex Gratuitis etiam bonis plebis animos in segnitiam exsolvens. **pascuor.** bulum ibi passim pingvibus campis abundat, boum equorumque armenta **abundantia.** ad perpetuam ejusmodi animalium aviditatem explens) Primam opulentiae & potentiae Anglicanae causam facit Thom. Smith. lib. 5. c. 1. Angl. descript. quod solum abunde in omnibus penè provinciis producat ea omnia, quae ad vitam humanam necessaria sunt; præter oleum & vinum. Quamvis & hoc etiam produxisse memoretur, potius ad voluptatem nempe, quam necessitatem. *Eduardus Chamberlayn part. 1. of the present state of England, c. 1. scribit; At it is divided from the rest of the World so by reason of its great abundance of all things necessary for the life of Man, it may without the contribution of any other part of the world, more easily subsist, than any of its neighbouring countries.* Propter graminis luxuriam & pecudum armentorumque numerum ingentem tanta lanæ, lini, pannificii & coriorum copia, ut *Germania, Gallia, Hispania, Svecia, Dania, Belgio* communicet excessum. Una *Camdeni* tempore *Artyverpi* ex *Londino* saltem pannorum millia accepit annuatim; obserante *Lansio* pro Brit. Orat. ubi plura de hoc argumento. Et nos commode uberiora dabimus de reliquis.

Nunc in divinam laudem atque gratiarum actionem
acquiescimus.



1077



DE
BRITANNIÆ
MAGNÆ,

II h
123

X1864225

Speciatim
ANGLIÆ & SCOTIÆ
GENIO, DOTIBUS
ac MORIBUS
Ad
Iconem Animorum
JOAN. BARCLAJ,
PRÆSIDE
GEORG. CASP. KIRCHMAJERO,
Orator. Prof. Publ.

In Electoral. Acad. Witteberg.

Audit. Major. Ann. clō Ibc LXXXII. Ad d. Junii,
differet

JOHANNES GÜTHREUS, Aberbrothenfis
SCOTO-BRITANNUS.

Ex Officinâ BRÜNINGIANA.

